



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dvbivm I. In quo consistat ratio formalis Substantiæ in Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

modè & distinctè in decem illis Prædicamentis ordinantur, ut denarius eorum numerus non possit sinè confusione diminui, aut ex necessitate augeri, ergò, &c.

cxix. Probatur 2º. ex congruentia, quam adfert Okam, conformiter ad Aristotelem Metaph. cap. 1º. Tot debent numerari Prædicamenta, quot possunt generales interrogationes de 1ª Substantia fieri; sed decem fieri possunt, ergò, &c.

cxix. Probatur minor; quia de illa quæri potest quid sit; quanta; qualis; ad quid ordinetur; quid agat; quid patiatur; quo loco sit; quo situ; quo tempore; quo vestitu, ergò, &c.

cxix. Confirmatur: si quis velit denarium Prædicamentorum numerum minuere, vel augere difficulter ad certum se determinare poterit, ut patet ex Resol. sequenti, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

cxix. Dico 2º. allatus tamen denarius Prædicamentorum numerus non est ab-

solutè necessarius, sed ad Philosophorum placitum.

cxix. Probatur: Plato referente Aristotele 3. Metaph. cap. 3. & post ipsum F. De Rationis, unum tantum Prædicamentum assignat, scilicet Entis creati completi. Zenocrates duo tantum, Substantiam scilicet & Accidens. Valla tria tantum. Stoici quatuor tantum. Plotinus quinque tantum, &c. Quòd autem potuissent plura assignari, patet; quia sicut assignantur plura Prædicamenta Accidentium; ita potuissent plura Substantiæ assignari, videlicet corporalis & spiritualis. Deinde, præter interrogationes decem assignatas, possunt longè plures aliæ fieri, ut v. g. de Petro, cuius Status sit, an Monachus, an uxoratus, an viduus. Item cuius Dignitatis, an Prior vel Suprior, Scabinus vel Consul. Cuius Conditionis, an civis, peregrinus, aut vagus. Denique, sicut novem interrogationes Accidentis fiunt de 1ª Substantia ut subiecto, quidni totidem fieri possent de illa ut obiecto, v. g. an intellecta sit, volita, visa, audita, &c. ergò, &c.

TRACTATUS V. DE PRÆDICAMENTIS.

1. **V**ARI de Prædicamentis tractant in Metaphysica, eò quòd eorum consideratio ad Metaphysicam spectet; sed aptius, cum Aristotele, eorum Tractatus hîc præmittitur, in ordine ad definitiones & argumentationes rectè conficiendas, quæ, sinè prædicamentorum notitia, rectè non fierent. Quare, sit

DISPUTATIO PRIMA De Substantia.

DUBIUM I.

In quo consistat ratio formalis Substantia in Genere.

II. **A**ntè Resolutionem, de qua P. Arriaga Disp. 4ª. Metaph. num. 4º. sic loquitur: Res hæc e difficilioribus totius Philosophiæ ab Antiquioribus vix tacta, à Recentioribus nondum explorata, non nihil nobis facesset negotii.

III. Suppono 1º. Substantiam tribus præsertim modis accipi. 1º. pro essentia seu entitate cuiusvis rei; sic essentia albedinis est Substantia albedinis, & hoc sensu dicit Aristoteles definitiones esse Substantiarum. 2º. pro omni eo quod non est in subje-

cto inhaesionis; sic Angelus & quodlibet 1º. subiectum, &c. est Substantia. 3º. strictè pro Substantia Prædicamentali, de qua infra.

IV. Suppono 2º. Substantiam ab Aristotele, D. Thoma Opusculo 42º de natura Generis cap. 10. Damasceno suæ Dialect. cap. 23. & aliis communiter definiri, ens per se existens; sic ut ly per se opponatur ly in alio, prout accidens definitur ens in alio existens; ut sit definitionis Substantiæ hic sensus, Substantia est ens subsistens, sive ens non in alio existens, &c. hæc enim à nullo videntur negari posse: undè profundissimè Eximius P. Noster Bacho in 1º. Sent. dist. 8. art. 2º. ait: Ratio generis Substantiæ non sumitur ex hoc, quod alicui substat, sed ex hoc quod in se subsistit. Sed difficulter clarè & distinctè explicatur, quid sit subsistere, subsistens esse, &c. sic ut sola substantia formalis, materia 1ª, forma Substantialis & Substantiæ completæ sub ly subsistens comprehendantur, cætera excludantur. His suppositis, sit

RESO-

RESOLUTIO I.

v. Dico 1^o. esse ens per se existens, in se subsistens, &c. quæ sunt synonyma, ut statim supposito 2^o vidimus; non satis declaratur per non esse in subiecto inhesionis, ly quod est in subiecto inhesionis hoc modo cum Aristotele lib. 1^o. Prædicamentorum divisione 2^a definiendo, Quod est in alio, & non ut pars ejus essentialis & integralis, & ita tamen inest, ut sine eo naturaliter esse non possit.

vi. Probatur, quia obstat, quod per ly in alio, in quo est forma, quæ ex Aristotele dicitur esse in subiecto inhesionis, intelligatur subiectum, quod forma illa informat, vel compositum exurgens ex subiecto & forma illa: si 1^{um}. jam forma, quæ dicitur Substantialis, est in subiecto inhesionis, ac proinde non Substantia, sed accidens; ratio est, quia est in subiecto, quod informat, ut v. g. forma ignis in materia, & non ut pars ejus essentialis & integralis, & ita tamen inest, ut sine eo naturaliter esse non possit. Si verò 2^{um}, jam Quantitas erit Substantia & non accidens; ratio est, quia ita est in composito quantum, quod exurgit ex subiecto & Quantitate, ut sit pars illius essentialis, sive ita ut quantum sine illa, nec esse, nec concipi possit.

vii. Dices fortè, per ly in alio, non intelligi compositum ex subiecto & accidente, sive ens per accidens, ut est quantum; sed compositum ex puris Substantiis, & ens per se, ut sit sensus, illud est in subiecto inhesionis, quod est in composito ex puris Substantiis, sive quod est in ente per se, & non ut pars essentialis & integralis, &c. Sed

viii. Contrà peto, cur Quantitas existens in quanto, non sit in composito ex puris Substantiis, in ente per se, &c. uti esse vis formam ignis in igne?

ix. Respondebis, quia quantum est compositum accidentale, cujus altera pars est accidens; ignis verò est compositum Substantiale, cujus utraque pars est Substantia, ens per se existens, &c. Sed

x. Contrà, hic in manifesto circulo circuis; nam, quod semper quæro, est, quare quantum sit potius compositum accidentale, quam ignis, & è contrà quare potius ignis sit compositum Substantiale, quam quantum; item cur potius Quantitas sit accidens, quam forma ignis, cum utraque sit in subiecto? Respondes, quia quantum est compositum accidentale, Quantitas accidens, ignis compositum Substantiale, forma ignis Substantia; quod est manifestus circulus; nec sic sine circulo facile ostenderis Quantitatem esse in alio tamquam subiecto inhesionis, & non formam ignis; vel è contrà formam ignis esse in alio tamquam in subiecto sustentationis tantum, & non Quantitatem.

xi. Ludunt quidam aliis terminis dicentes, Quantitatem non esse de constitutivo rei, benè autem formam ignis: & idèò dicunt hanc esse Substantiam, illam accidens. Vel enim per rem constitutibilem intelligunt subiectum informationis, vel compositum exurgens ex subiecto & forma illud informantè? quidquid dixerint, jam rejectum est: deinde quod peto est, cur quantum ex materia & Quantitate non sit rigorosè res, sicut dicunt ignem esse. Non sunt loquela, neque sermones: Quare

xii. Ad Aristotelem num. 5. cit. resp. veram esse regulam, quam adfert, & tale esse subiectum inhesionis, quale illud describit: sed ibi præsupponit aliandè captam naturam Substantiæ & accidentis, quam adhuc venamur, nec retia parat allata regula.

RESOLUTIO II.

xiii. Dico 2^o esse ens per se existens, in se subsistens, &c. non satis declaratur per esse, ut à nullo prorsus subiecto pendens, ut Deus, Angelus, vel nonnisi pendens tamquam aliquid constitutum 1^a rei, seu 1^a radices totalis entis 1^o & per se à natura intenti, sive non intenti propter aliud adequatè à se distinctum. Est contrà PP. Hurtadum, Arriagam, Oviédum, Comptonum, &c.

xiv. Probatur 1^o, quia obstat, quod per 1^{am} rem, 1^{am} radicem, &c. intelligere oporteat, vel illam, quæ in nullo subiecto radicitur; aut quæ propter nullum subiectum intenditur, si completa & simplex sit: vel si composita, illam, quæ exurgit ex duabus partialibus radicibus, quarum una sit indifferens & passiva, quam dicent esse materiam 1^{am} altera determinata & effectiva, quam dicent esse formam Substantialem. Sed

xv. Contrà 1^{um} est, quod sic definitio Substantiæ esset restricta, nec satis latè patens, utpotè solis Substantiis simplicibus completis, ut est Deus, Angelus, &c. & materiæ 1^æ. & non aliis v. g. formis incompletis & compositis completis, ut est homo, brutum, &c. conveniens.

xvi. Contrà 2^{um} etiam est, quod sic quantum exurgens ex materia 1^a & Quantitate sit 1^a radix totalis (& idem est de albo exurgente ex materia & albedine) ac per consequens quod Quantitas, utpotè constitutiva 1^æ radices totalis, esset Substantia; quod verò sic quantum sit 1^a radix totalis, patet, quia exurgit ex duabus partialibus radicibus, quarum una, scilicet materia 1^a, sit indifferens & passiva, altera determinata & effectiva, vel saltem exactiva omnium, quæ consequuntur tale compositum, puta ubicationis, situs, durationis, &c. Quod

xvii. Confirmatur: non apparet, cur minus tale quantum sit 1^a radix totalis, quam ignis, aqua, &c. nam in quanto una pars, scilicet materia 1^a, est eadem ac in igne; altera verò, scilicet Quantitas determinat materiam ad quantum, non secus ac forma ignis ad ignem, & est effectiva, vel saltem exactiva omnium, quæ naturaliter consequuntur quantum, non secus ac forma ignis omnium, quæ naturaliter ignem consequuntur, ergò, &c.

xviii. Nec responderi potest esse disparitatem, quod videlicet Quantitas non sit pars entis 1^o & per se à natura intenti, benè autem forma ignis; quia (inquies) ens 1^o & per se à natura intentum est illud, quod ita est per formam suam completum, ut illa stante, per aliam naturaliter compleri non possit in esse entis per se; materia verò habens Quantitatem, potest adhuc per aliam formam naturaliter compleri in esse entis per se, puta per formam ignis: Ad inquam responderi non potest; quia, quæro quare materia 1^a. habens formam ignis, non possit similiter per Quantitatem naturaliter compleri in esse entis per se? Si Resp. 1^o. quia Quantitas est forma accidentalis, quæ nō potest constituere ens per se, petis principium. Si Resp. 2^o quia, quidquid advenit formæ completæ Substantiali, qualis est forma ignis, nō constituit ens per se, sed accidentale dumtaxat, verū dicis; sed ulterius quæro, quare forma ignis sit potius forma completa Substantialis, intuitu ignis, quam Quantitas intuitu quanti? dicam enim formam ignis non esse Substantialem; quia non est de constitutione 1^æ radices totalis quanti, licet reperia-

tur in *quanto*, sicut dicis *Quantitatem* non esse Substantialem, quia non est de constitutivo 1^æ radices totalis ignis, licet reperiatur in igne.

xi. Nec etiam recte respondet P. Ovidius loco citato, esse disparitatem, in eo scilicet quod forma ignis primario intendatur propter ignem, quem constituit; non verò *Quantitas* primario propter *quantum*; calor primario propter calidum, quod constituit; sed propter subiectum, quod non constituit, at constitutum præsupponit: unde (inquit) esse non potest Substantia, sed accidens; quia intenditur à natura propter aliud, à quo adæquate distinguitur. Non rectè (inquam) respondet P. Ovidius: quid enim aliud est, formam ignis primario à natura intendi propter ignem, quem constituit, quam formam ignis primario à natura intendi, ut simul cum materia & unione faciat ignem? verum illo sensu omnes fateri debent, *Quantitatem* primario à natura intendi, ut faciat *quantum*; nam primario à natura intenditur, ut simul cum materia & unione faciat *quantum*. Deinde ignis non est distinctus à materia, forma & unione, & forma ignis non intenditur præcisè propter se, ergo ut simul cum materia & unione faciat ignem, quod *Quantitati* convenit, ut patet. Denique rogo, quare dicat, *Quantitatem*, calorem, &c. à materia primario intendi propter subiectum, nisi quia exiguntur & exigunt esse in subiecto; idem autem est de forma ignis respectu materiæ 1^æ. ergo etiam hæc intenditur propter subiectum, non secus ac illæ: si enim non exigenterentur, nec id exigenterent; & sic non intenderentur à materia propter subiectum; sed propter se, non secus ac ignis A. & ignis B.

xx. Respondebis fortè, illa forma est de constitutivo 1^æ radices, sive entis 1^o. & per se à natura intenti, in qua cætera, præter ipsum materiam & substantiam, radicanter. Sed

xxi. Contrà, patet in primis, *Quantitatem*, nec exigi, nec radicari in forma Substantiali. Deinde responsio illa, sic intelligi debet: illa forma est de constitutivo 1^æ radices, &c. in qua cætera, quæ sunt in tali composito præter ipsam materiam & substantiam radicanter, exiguntur, &c. Unde manifestè sequitur, *Quantitatem* in quanto ex materia & *Quantitate*, juxta illam responsionem, esse formam Substantialem, imò magis, quam formæ Substantiales; quia, præterquam quod in quanto omnes formæ accidentales, in ipsa radicanter, & eas instar materiæ Substantialis exigit; longè plures respicit, quam quælibet forma Substantialis in composito quod constituit.

xxii. Probat 2^o. Resol. quia obstat, quod valde obscurum & dubium sit, quid Authores isti intelligant per id, quod non intenditur à natura propter aliud adæquate distinctum. Ratio dubitandi est, 1^o quod Deus à natura non intendatur propter aliud aut propter se, sed sit à se, sine ulla intentione præviæ naturæ agentis, vel non agentis, ut Fides habet, & contrarium est hæreticum; Deus tamen est perfectissima Substantia. 2^o. quia omne, quod intenditur primario propter compositum, uti intenditur in sententia P. Ovidii, materia, forma, &c. intenditur propter partes compositi (cum ab his non distinguatur, saltem objective) ac proinde partim propter se, & partim propter duas alias partes, à quibus adæquate distinguitur; & ita quidem, ut æquè primario propter illas adæquate distinctas, ac propter se à natura intendatur; alioqui non intendere-

tur primario propter compositum; totum autem id *Quantitati* respectivè ad quantum convenit. 3^o. intendat Deus producere *Quantitatem* & quodlibet aliud accidens sine ullo subiecto ad manifestandam virtutem suam (ut facit in V. Sacramento juxta communem Realium,) *Quantitas* & quodlibet aliud accidens non intenditur à Natura illa naturalium perfectissima propter aliud (videlicet propter subiectum vel formam aliam in subiecto introducendam, quod subintelligit) adæquate distinctum à se, ergo erunt Substantiæ, absurda est consequentia: 4^o. quia non apparet, quid intendi à natura propter aliud, esse possit, præterquam ex essentia sua ordinari ad aliud, omnis verò forma, utpotè exigens esse in subiecto ex essentia sua, ordinatur ad subiectum, & non nisi concomitanter & per accidens ex intentione extrinseca agentis ad assimilandum sibi passum, est propter compositum vel quidpià aliud, quæ intentio est omnino impertinens ad entitatē rei faciendam intrinsecè Substantiam vel accidens. Ex his

xxiii. Colliges, difficile esse explicationem P. Arriagæ; P. Ovidium verò non invenisse & multò minus præoccupasse (ut putat) omnes difficultates, quæ contrà allatam ipsius explicationem congeri possunt. Quare, sit

RESOLUTIO III.

xxiv. Dico 3^o. *Ens per se existens, in se subsistens*, &c. commodè explicatur hoc modo, *Ens per se existens, in se subsistens, &c. est id quod, ut quo vel, ut quod, in eo ordine, in quo reponitur, est 1^o naturaliter affectum formæ, quæ dat esse subsistens*. Hæc Resolutio omnino videtur Eximii P. Nostri Bachonis in 1^{um} Sent. Dist. 8. art. 2^o. ubi ait, *Ratio generis Substantiæ non sumitur ex hoc, quod alicui subsistat, sed ex hoc quod in se subsistit*.

xxv. Dixi 1^o. ut quo, ut comprehendas subsistentiam, quæ ut quo subsistit, & si positiva, Substantia est, ut omnes fateantur.

xxvi. Dixi 2^o. ut quod, ut comprehendas materiam, & formam Substantialem à subsistentia distinctam, quæ ut quod subsistat, ut omnes fateantur.

xxvii. Dixi 3^o. In eo ordine in quo reponitur; quia in uno ordine entia materialia, sive quæ materiam concernunt, reponitur; & in alio entia formalia, sive quæ formam concernunt, ut omnes etiam fateantur.

xxviii. Dices, hæc explicatio traditur per suum definitum: deinde argumenta supra contrà alias Sententias facta, contrà hanc Resolutionem militant: non enim apparet cur minus *Quantitas* in composito quantum ex materia 1^a & *Quantitate*, sit id, quod est ut quo, vel ut quod realiter immediatè affectum formæ, quæ dat esse subsistens, quam forma ignis, ergo, &c.

xxix. Respondeo 1^o ad 2^{am} partem argumenti, omnia correlativa debere per suum correlativum definiri; sic enim esse in loco definitur per formam constituentem esse in loco; item esse in tempore, per formam constituentem esse in tempore, ut, esse affectum formæ, quæ dat esse in tempore: denique esse patrem, per filium, ut, pater est filii pater.

xxx. Respondeo 2^o. ad 2^{am} partem, negando, argumenta contrà alias Sententias facta, contrà hanc Resolutionem militare; quia in hac Resolutione, illa sola sunt Substantiæ, quæ in suo genere sive ordine sunt, ut quod vel ut quod naturaliter affecta formæ, quæ dat esse subsistens; in genere

re autem entium materialium (id est, quæ in ordine, in quo ponitur materia, reponuntur) materia 1^a, saltem ut quod 1^o, naturaliter est affecta formâ, quæ dat esse subsistens; & in genere entium formalium, (id est, quæ in eo ordine, in quo ponitur forma, reponuntur) forma Substantialis, saltem ut quod 1^o naturaliter est affecta formâ, quæ dat esse subsistens, ut omnes fatentur. Vnde ad argumentum directè Respondendo, *Quantitatem* in composito quantum ex materia 1^a & Quantitate, minùs esse affectam formâ, quæ dat esse subsistens, quàm formam ignis; quia in eo ordine reponitur, in quo ponitur materia; utpote materiæ proprietates, & materia est in eo ordine, saltem ut quod 1^o naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens: forma autem ignis, utpote in ordine, in quo forma reponitur, posita, est saltem ut quod in eo ordine 1^o, naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens, ut omnes fateri tenentur. Si autem quæras, cur albedo v. g. in albo ex materia 1^a & albedine non tam censetur 1^o naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens, quàm forma ignis in composito ex materia 1^a & ipsa. Respondendo (quandoquidem, ut probabimus in Physica, experientia non vincat in igne, & sic de aliis, dari formam Substantialem) Rationem debere sumi ex communi sensu, quo omnes fatentur, formam ignis 1^o in suo ordine, id est, in ordine formarum, naturaliter affici formâ, quæ dat esse subsistens; non ita albedinem, ut etiam omnes fatentur; ita autem affici formâ, quæ dat esse subsistens, est propriū Substantiæ, ut omnes unanimiter asserunt.

xxx i. Probatur itaque Resolutio nostra 1^o refutatione aliarum sententiarum, & objectionis præcedentis solutione, quæ unica contrâ nostram Resolutionem vim habere posse videtur, ergo, &c.

xxx ii. Probatur 2^o, ex Etymologia nominis *subsistens*; Authoritate Augustini, qui lib. de cognit. ver. vit. cap. 2^o. docet, Substantiam esse, quæ *subsistat omnibus accidentibus* (puta talis compositus) & Aristotelis, qui sic definiuit Substantiam esse *ens per se existens*, ut tamen formas Substantiales agnoverit; unde necessariò sic intelligi debet, ut per ly *per se existens* intelligat 1^o *existens in suo ordine*, quod æquivalet 1^o *ut quo, vel ut quod subsistens in suo ordine*; quod *subsistens* procul dubio agnoverunt Aristoteles & Antiqui Philosophi, quidquid dicat P. Comptonus Disp. 7. Metaph. Sect. 2. num. 5^o, ergo, &c. Ex his autem:

xxx iii. Colliges, accidens esse, quidquid in suo ordine præsupponit ens affectum *ut quo, vel ens affectum ut quod formâ, quæ dat esse subsistens*. Ac proinde illud esse in subiecto inhesionis, quod est in eo, quod, in suo ordine *ut quo vel ut quod subsistens*, sibi præsupponitur; unde definitionis entis, quod juxta Aristotelem lib. 1^o. Prædicament. Divis. 2^a. est in subiecto inhesionis, hic est sensus; *illud est in subiecto inhesionis, quod est in alio sui ordinis, & non ut pars ejus essentialis, vel integralis, & tamen ita necessario, ut sine eo naturaliter esse non possit*.

D V B I V M I I.

Quid sit Substantia Prædicamentalis.

R E S O L U T I O.

xxxiv. Dico, substantia prædicamentalis est omne individuum entis per se subsistentis totalis, sive omne individuum completum, quod per se totaliter subsistit, & quidquid de eo prædicatur *in quid*, in recta linea Prædicamenta-

li, ut comprehendas *Species, & Genera*.

xxxv. Probatur, quia substantia Prædicamentalis est substantia completa; sed omne individuum dictum, & quidquid de illo prædicatur *in quid* in recta linea Prædicamentali, est talis substantia, ergo, &c.

D V B I V M I I I.

Qualis sit divisio Substantiæ in 1^{am}, & 2^{am}.

xxxvi. Antè Resolutionem Adverte, Philosophi mentem circa hanc divisionem valde obscuram esse, hincque fieri, quòd quisq; pro suo beneplacito, hoc vel illud divisum, in hac divisione assignet. Refellam quod communiùs dicitur, & subdam breviter, quod censeo. Quare sit

R E S O L U T I O I.

xxxvii. Dico 1^o, allata divisio non est subiecti in accidentia, hoc sensu, quòd Substantia secundum se dividatur in singularem & universalem, neque (ut communiùs volunt Thomistæ) quòd Substantia Prædicamentalis considerata præcisè secundū suam essentiam dividatur in duos diversos modos Substantiæ accidentibus, *primariò scilicet ac individualiter, & secundariò ac universaliter*.

xxxviii. Probatur 1^a pars, quia Substantia secundum se, est Substantia in communi & abstracta, formaliter per mentem, ut constat ex dictis de universalibus, quo posito, sic arguuntur. Vel Substantia secundum se dividitur in universalem & singularem, formaliter ut abstracta, vel materialiter. Si 1^{um}. divisum (ut patet) est unum è membris dividendibus, scilicet universalis sive 2^a. si 2^{um}. utpote individua ipsa, est alterum, scilicet 1^a. sive singularis; ergo divisio allata tamquam subiecti in accidentia, hoc sensu, quòd sit divisio Substantiæ secundum se, in universalem & singularem, nulla est; quia divisum non præscindit perfectè à membris dividendibus.

xxxix. Confirmatur, etiam dato, quòd Substantia secundum se, sit divisum, adhuc allata divisio non erit subiecti in accidentia, ergo, &c.

xl. Probatur assumptum, quia alterum membrum, scilicet Substantia singularis, se non habet ut accidens respectu Substantiæ secundum se; sed ut Petrus respectu hominis, qui est inferius illius, ergo, &c. Probatur hoc antecedens, quia Substantia 1^a, ex mente Aristotelis, est illa, quæ Physicè & realiter, ac proinde primariò, subsistat accidentibus; non verò illa, quæ est per intentionem 1^{am} formalem individuante, concepta ut singularis, quæ sola non est inferius Substantiæ secundum se, sed accidens, ut patet, ergo, &c.

xli. Obicies tamen, Substantia secundum se est quidem Substantia in communi & abstracta, in actu exercitio, non tamen in actu signato, qualis est 2^a. sive universalis. Vnde divisum adhuc perfectè præscindit ab altero membro dividente, ergo est bona divisio illius in duo accidentia.

xlii. Respondeo 1^o, transeat antecedens, nego consequentiam: nam saltem manet, quòd ex parte alterius membri dividendis non fit divisio in accidentia, ut patet ex confirmatione. num. 39. & 40. allata.